

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Illustrissimo & fortissimo uiro, Tarnouio, capitaneo Cracouiensi, &c. Philippus  
Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

rè sperare possimus eam consecutam esse aeterna  
 gaudia cum Christo, ubi iterum unà uicturi estis,  
 & inter sanctos fruemini illa aeterna et uerè iucun-  
 da consuetudine. Postremò Christianos scire de-  
 cet, & peccatum esse, frangi dolore, & irasci iudi-  
 cio Dei, & repugnare uoluntati eius. Has ego mihi  
 consolationes in multis meis casibus proponere so-  
 leo, quas scio uobis notas esse omnes. Quare non  
 scribere uolui prolixius. Collegi autem eas bre-  
 uiter, ut meum uobis studium ostenderem. Iubet e-  
 nim Paulus, ut doleamus cum dolentibus. Et uale-  
 re aliquid in Ecclesia, mutua fratrum cōsolatio de-  
 bet. Ideo rogo ut meas literas boni cōsulatis, uosq̄  
 pro uestra sapientia & pietate erigatis, & dolo-  
 ri resistatis; & cogitetis nos Christianos non ad hu-  
 ius uitæ delicias, sed ad acerrima certamina uoca-  
 tos esse. neq; tamen defuturum nobis Christum, qui  
 ait: Non relinquam uos orphanos. Aderit & ipse  
 nobis, cum uerbo ipsius nos sustentabit, & eriget.

*V. m. b. 4. p. p. Pascha.* Bene & feliciter ualete. Anno 36.

Illustrissimo & fortissimo uiro, Tarno-  
 uio, capitaneo Cracouiensi, &c. Phi-  
 lippus Melanchthon  
 S. D.

Pergratum mihi fecit Ioannes uetus amicus,  
 quod in conuentu Ratisbonensi, quo me fato for-  
 tassis

tatis aliquo in certamine de doctrina Christiana  
 cum non leuibus conflitantem curis adiit. Senti enim  
 ipse congressu, et dulcissimis sermonibus, me  
 diecriter animum defessum recreari. Cum autem  
 de patria, et de hac sua militia, in qua nunc uersa-  
 tur, ea mihi narraret, quæ fortè requirebam: sepe  
 eum rerum series ad tuas res gestas ac uirtutum ha-  
 rum prædicationem deducebat. Qua oratione cum  
 delectari me animaduertisset, hortator mihi fuit, ut  
 ad te scriberem. Gessi morem homini amico, præ-  
 sertim cum affirmare literas nostras non ingratas  
 tibi fore. Ego cum de naturæ humanæ imbecilli-  
 tate et inconstantia cogito, sepe omnium in Euro-  
 pa gentium historias animo reputo, ac collapsa im-  
 peria, fractam uirtutem plurimorum deploro. Græ-  
 cia, quæ olim domicilium erat uirtutis et liberta-  
 tis, nunc barbarica seruitute oppressa est. Italia  
 non solum uetus imperij decus, sed etiam militiæ  
 studia amisit. In Germania, extincta ueteri discipli-  
 na et grauitate, qui nunc sunt clari duces? Hec  
 cum cogito, mirari soleo gentem Henetam, quæ et-  
 si antiquitate cæteris antecedit omnes, nondum effœta  
 tot seculis, gloriam rei militaris et regni decus in-  
 ter florentissimas nationes tuetur, ac perpetuò cla-  
 rissimos duces gignit. Quàm longa series esset, si  
 inde usque ab Antenore, aut Telepho, aut Stilico-  
 ne, gentis Henetæ duces usq; ad Casimiri regis ata-  
 tem

tem recensere uelim? Gratulor igitur perpetuā felicitatem genti uestre, quæ nunc quoq; uirtute & ducum gloria ceteras nationes antecellit. Neminē enim hoc tempore duci Tarnouio anteferre possumus. Huius uictoria celebratur, & propter magnitudinem rerum gestarum, & propter utilitatē. Nam hic unus custos esse huius partis Europæ aduersus Scythicam barbariem existimatur. Hoc decus & reipublicæ Christianæ & tibi gratulor: & opto, ut Deus rerum conditor te seruet, & uocet aliquando ad res gerendas maiores, ac liberandam à Turcica barbarie & tyrannide uniuersam Europam. Ad hanc rem cum opus sit regum opibus & concordia, ei omnes uota faciāt, ut Deus regum animos excitet, ut tot gentiū Ecclesias tegere armis, consilio, & iunctis uiribus tandem uelint. Hæc ad te scripsi, ut meum studium tibi declarāre. Nam cum arma uestra bonarum rerum doctrinam defendere debeant, uicissim decet ordinem nostrū uiros fortes amare & colere. Ego uerò in primis uestre gentis præstantes uiros amo. Quare me uicissim ut complectaris, te etiam atq; etiam oro. Bene & feliciter uale: Ratisbonæ, 9 Iulij. 1541.

Episcopo Cantuariensi S. D.

Reuerendissime præsul, Ex Osiandro, uiro optimo, & mihi ueteri amicitia coniuncto, & ex mul-

ti